



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 93. Apamiensis conflictus inter Catholicos, & Protestantos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

quam realem Corporis Christi Domini præsentiam in sacra Eucharistia adstruere, unde re infecta utrinque discessum.

§. XCIII.

*Apamiensis conflictus inter Catholicos,
& Protestantes.*

Phuan. l. 39. Paulo ante hoc colloquium Robertus Pelleveus Apamiensis Episcopus, cum juxta Regis mandata Protestantibus conventicula agendi licentiam interdiceret vellet, adversus eos literas ad Curiam dabat, eosque tanquam Regii edicti transgressores accusabat. Hac delatione facta Rex acceptis illorum nominibus, qui ex Magistratibus ad regenda oppida eligebantur, non nisi Catholicos selegit, rejectis hæreticis, simulque in Apamiensi Provincia cujuscunque alterius Religionis usum præter Catholicam interdixit, ac denique Damvillæ Occidaniæ Gubernatori injunxit, ut regium decretum executioni mandari curaret. Huic Regis mandato rursus Protestantes, incassum licet, obluçtabantur, cum vero id revocari desperarent, saltem illud libere transgredi statuerunt; itaque suos conventus licet non publicos, secretos tamen in privatis ædibus cogunt: porro re comperta Catholici, quantum valebant,

bant, sese illis opponunt: mox vero tumultus, ac rixæ suscitantur, ac tandem die decima nona Maji manus conferuntur, ubi seditione sequentibus diebus aucta plures vulnerantur, atque occiduntur, præprimis enim Protestantes facti in Brussii ædes impetu, illas diripiunt, injectoque igne comburunt, ipsum vero Brussium die decima quinta Junii crudeliter trucidant, aliosque plures graviter sauciant, ac nondum satiato furore Carmelitarum Conventum, interfectis aliquibus Religiosis deprædantur, nec minus postea Augustinianorum cœnobium aggrediuntur, ibidemque sacras imagines evertunt, simulque in Ecclesiam sancti Francisci, urbisque nosocomium sacrilegas manus injiciunt: decima sexta autem ejusdem Mensis die Dominicanorum Ecclesiam invadunt, eamque pariter exspoliant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

§. XCIV.

Joufa Comes a Protestantibus Urbis ingressu prohibitus.

Postmodum Joufa Comes Regius Provinciæ Prætor Joannem Nogaretum Valetam Apamæas ablegabat, qui seditionem extincturus Protestantibus sequentes proponebat conditiones. I. Captivi Apamæis, & Fuxii utrinque liberentur. II. Externi milites utrobique

Mm 2 que